

**Fides et humanitas  
Polonica erga delegatos  
regios Svedorum,  
generosum d. Ar...**

Narssius, Johannes

*F1700 2109*



National Library  
of Sweden

1625  
FIDES ET HUMANITAS

POLONICA

ERGA

DELEGATOS REGIOS  
SVEDORUM,

Generosum D. ARVIDUM HORN

Clariff. D. IOHANNEM SALVIUM, I. U. D.

Dignis modis commendata

à  
IOANNE NARSSIO Anastasio  
Dordraco-Batavo Med, D.



RIGÆ,

Excusa Anno M. DC. XXV.

12

Benigne Lector,

**C**ontumeliam intolerandam per latus Delegatorum Serenissimo REGI meo à Polonis illatam dum vindicare aliquatenus conantur qualescunq; Musæ meæ, non hoc agunt, ut universæ Genti Polonica notam perfidiæ & immanitatis inurant. Major enim pars & melior ut teres atque rotunda potius audiat, quin & humanitatis ac civilitatis titulo gaudeat, per me sanè licet. Verùm Cosacos plerosque, suis ferè noxios feritate suâ non minùs, quam Hostibus, vivis coloribus depingunt; ac simul indicant, quantam ingenii & morum Metamorphosin Gentibus laudatis paulatim adferant consilia eorum, qui Hæreticis, ac rebellibus, scilicet, fidem non esse servandam docent; Serpentibus nimirum similes Christiani, utrum prudentiâ Filiis DEI dignâ, an verò veneno Serpentis antiqui, qui ab initio mendax fuit & Homicida, boni dijudicent: uti aliquando judicabit ille, in cujus ore non fuit repertus dolus, quique fraudulentis & versipellibus gravissima quæque non de nihilo comminatur. Vale, benigne Lector & Consiliarios ejusmodi, sive Pseudo-Theologos, sive Pseudo-politicos, tanquam duces cecos (utut aliis oculatiores videri voliant) cautus evita.

DELE.

DELEGATI REGII SVEDO-  
RYM A POLONIS CAPTI ET

SPOLIATI <sup>16.</sup>/<sub>26.</sub> Septemb. 1625.



*Idem protervè fallere publicam,  
Tutosq; pacto prendere Nuncios  
Philippi Iberi est. Horridam Orbi  
Heu! fuge barbariem, POLONE.*

*Pares momenti? An, degener, artibus*

*Affinitate adsvocis Ibericis?*

*Tuisné capti detinentur*

*Salvius Horniadesq; vinclis?*

*Heu! Vera constans Fama refert nimis:*

*Raptos inermes in spoliis viros,*

*Desiderata jura Pacis*

*Prævia qui fabricent vocati.*

*Scelus nefandum! quod neq; Memela,*

*Nec Vistula ingens fluctibus eluat;*

*Nec Pontus Arctoo sub axe,*

*Oceaniq; vocata lympha.*

*An sic Poloni tuta fides erit?*

*Vab! Christierni sic Genius redit?*

A 2

Non

Non ista, SIGISMUNDE, quondam  
Fecit Avus tuus execranda,  
Sed Christierni haec passus ab artibus  
Justè Tyrannum finibus expulit.  
Ne Christiernâ crede fraude  
In Sveones repetenda sceptrâ.  
GUSTAVIANUS finibus excubat,  
Quin & tuis jam finibus incubat  
Alter NEPOS, qui missa Calo  
Perfidia gerit arma vindex.  
Impune nemo perfidus existit.  
Fraus saepè cussa est in proprium caput.  
Et saepè connivendo REGES  
Supplicium sceleris tulere.  
Non te priorem, REX, sceleris reum  
Jussu nefando, ac fraudibus arguo.  
At ajo: Fas laxare captos,  
Supplicioq; domare fontes.  
Nosti Cosacùm LOSCHELIUM Ducem,  
Atrocis hujus perfidia caput.  
Huic nò rependas digna factis,  
Culpa tua est, aderitq; pena.

Captivi

Captivi bene habità Principe

RADZIVILIO.

Princeps Cosacis Radzivil æquior  
Ut crimen audit fœdera gentium,  
Fasq; omne rumpens, quodq; jure  
Opprobrium manet æviternum,  
Dolore honesti pectoris æstuans  
Excusat atrox, quâ potis est, nefas;  
Mandatq; captivis iniquam  
Restitui properè rapinam.

Captos benignis hospitiiis fovet,  
Tandemq; tutos restituit suis.

Hæc prædicanda in Hoste virtus  
Byrziaco hæud superata damno.

Ducis sequuti jussa Primovius,  
Et Burzimovl provida mens Senis,

Illisq; junctus Trisca sacro,  
Papicolis meliore, nexu,

Certatim honore atq; officiis piis  
Lenire tentant LOSCHELII scelus,

Candore gens Equitate  
Moribus annumeranda priscis.

A 3

Sic

15. Odo-  
25. bris 1625.

Sic Pallas aufert docta ferociam.  
Corde esse recto sic Pietas docet,  
Quam Jesuita non gubernat

† Quos sic  
vocat.

Hæreticis † male fidas ardor.  
Suis fideles, at tamen Hostibus.  
Decenter æquos Religio facit,  
Quæ nata Calo. Nec dolosam  
Barbariem patitur foveri  
Qui verus Heros. Nullum animosius  
Impugnat Hostem, quam scelus & nefas;  
Hinc mente, prudens, inter arma  
Præcipuos agitans Triumphos.  
Hic Pacis alma, purus & integer,  
Tractare dignus sacra negotia.  
Contexta huic Corona quadrat  
Laureolâ simul, atq; Olivâ.

Raptor LOSCHEL.

Papista LOSCHEL, effera Cosacorum  
Ut se ferocem comprobet ducem Turma,  
Vexat rapinâ prævios duces Pacis,  
Nihil moratus sacra Gentium jura,

Fidemq;

Fidemq; crebro parti utriq; servatam.  
 Viros incrimis vestibusq; nudatos  
 Vectat caballis, improbus, dies binos †  
 Cursu citato, promptus ad fugam Prado.  
 Dieteriusq; contumeliâ plenis  
 Injuriosa jungit acta captivis.  
 Passis iniqua, plura jactat instare  
 Acerbiora, in Regiam SIGISMUNDI  
 Mox transvehendis comminando tormenta.  
 Nec finis, aut modus fuisset irarum,  
 Ni RADZIVILI justa Principis jussa  
 Immanitatis impetum refranassent.  
 Sic nempe Natum te fidelium PATRUM  
 Ostende, LOSCHEL, fœdera icta qui frangunt,  
 Inferre noxam si cui bono possint,  
 Erroris, aut rebellionis obtentu.

† XV. Mi-  
 liar. uno  
 die.

Ad colluviem Cosacorum  
 Loschelianam.

**P**rofana Turba Militum,  
 Fugaciorq; cervis,  
 Inermiumq; cœdibus  
 Illustris & rapinis;  
 Cui robur in clamoribus,  
 Et præpete in caballo,

Qui te serat per avia,  
 Quum terga vertis Hosti:  
 Quin ista reddis integra,  
 Que, Principe imperante,  
 Reglutinanda ab unguibus  
 Raptata non ab Hoste?

Cur

Cur indumenta, pervicax,  
Furtiva multa servas?  
Ephippiorum vincula  
Cur improbe amputata?  
Turpiq; contumelia,  
Bombardæ adulterate;  
Dum flammifer furto silex  
Ablatus, atq; ligni  
Et casei, ludibrio,  
Fragmenta substituta?  
Malitiose Furcifer,  
Quicumq; tam protervè  
Deludis æqua Principis,  
Ac digna REGE iussa:  
Licet feroce murmures  
Et invidente corde,

Redux potitur Hornius  
Cum Salvio salute;  
Nec par virorum nobile,  
Et erudita Svada.  
Tuo scelestè barbaro  
Intercidit furore.  
Tu quæ parasti incommoda,  
Moramq; forte Paci;  
Vt digna sint suspendio,  
Haud urgeo querelas;  
Sed longa ne sis litera,  
Patrando post nefanda,  
Flagella sint & stigmata  
Quos mitto nunc Iambos.

### Cosaci excusati.

Doctorem Juris rapiant quum fraude Cosaci,  
Hos avidos Juris quis neget esse viros?  
Et quum captivus ducatur Nobilis illis,  
Barbara Gens an non Nobilitatis amans?

F I N I S.